





IVRA FRANCOFVRTENSIA  
DE  
**AEDIBVS RVINOSIS**  
**ET AREIS VACVIS**

AB

---

PROGRAMMA  
QVO  
PRAENOBILISSIMI IVRIVM CANDIDATI  
**GEORGII LVDOVICI SCHILLERI**

FRANCOFVRTENSIS

DISPVTACTIONEM SOLLEMNEM

D. XXI. APR. CCCCCCLXXXVII.

INSTITVENDAM

RITE INDICIT

**IVSTVS CHRIST. LVD. DE SCHELLWITZ, D.**

SER. DVCI SAX. COE. SALF. A CONSILIJIS AVLAE IVR. PVBL. PROF.  
ORD. ET DICASTERIOR. IENENS. ASSESSOR.

H. T. ORD. IVRISCONS. PRO DECANVS.

---

IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS.



LITERA LITURGICA ET LITURGIA  
AEDIBAS RAVINOSIS  
ET ARERIS AVCAZ

PROGRAMMA

GEORGII LADOGICI SCHIFFERI  
DISPUTATIONEM SCIENTIEN

MEDITATIONES

PLATE INDICIT

PLATE CHRISTI ET DE GOTHIENSIS P.  
S. MACROCHIRIS S. CECILIAE CONCELEBRANTUR  
OMNIS ET AETERNAE MUNERIS BENEFICIORUM

PLATE  
FESTIVITATIS



§. I.

*Prooemium.*

**C**um ea, quae Reformatio Francofurtensis a) de ruinosis aedibus et areis vacuis disponit, variis ex rationibus singularem mereantur attentionem, et huius legis vsus frequentissimus sit, iam de hoc argumento breuiter agere constitui. Quamvis enim de patriae suae iuribus praeclare meritus IO. PHIL. ORTH. b) in lege allegata explananda cum magna laude versatus sit, c) non tamen desunt, quae accuratiore discussione digna sunt.

A 2

Ante

a) Part. VIII Tit. XI §. 1. 2. 3. 5. Haec constitutio iam in Reform. a. 1578 publicata Part. VIII. Tit. XI. §. 1. 2. 3. 5. occurrit, vnde in nouissimam verbotenus translata est. Fundamentum dispositionis est priuilegium, quod Frid. III Imperator S. R. I. liberar. reipublicae Francof. a. 1470 concessit et Sixtus IV Pontifex a. 1477 confirmauit. In priuilegiorum Francofurtensium collectione a. 1614 in lucem emissa, modo diploma papale vna cum eidem inserta versione latina priuilegii caesarei deprehenditur. At in nouissima huius libri editione, quae a. 1728 sub titulo: *Priuilegia et pacta des H. R. R. Stadt Frankfurt am Main: etc.* prodiit, non solum priuilegium caesareum integrum in lingua germanica pag. 323 sq. sed etiam confirmatio Pontificis pag. 329 sq. inuenitur. Etsi praestantissimi Iusti, qui senatus amplissimi iussu hanc editionem procurarunt, operam dederint, ut omnia et singula documenta secundum originalia accuratissime typis describerentur, tamen in fine velonis latinae priuilegii caesarei annus

viciose expressus est, dum typographus vocem: septuagesimo: omisit. Cum postea IO. IAC. de MOSER a. 1732. sq. praecipua ciuitates imperiales concernentia documenta im Reichs-Südlichen Handbuche colligeret, in huius operis Tom. I. sub. num. 43 pag. 513 sq. extractum priuilegii caesarei in lingua vernacula dedit. In rubrica est quidem intuitu anni error commissus, at non in priuilegio ipso.

b) in den Anmerkungen über die so genannte erneuerte Reformation des Städte Frankfurth am Main dritt. Fortsetz. pag. 564 sq.

c) Peculiares commentationes de ruinofarum aut collapsarum aedium reaificatione, quippe de qua doctrina Ref. Franc. loc. cit. agit, mihi ignoratae sunt. Nam sub praefidio AVGVSTI BENED. CARPOVII de eo, quod iustum est circa destructionem et ruinam Lipsiae 1693 defensa disputatio de hoc arguento nihil continet. Idem forte dicendum erit de disp. quam LEONH. LVD. MENKEN. de aedibus exustis et ruinosis Vit 1761 habuit, et inspicere non potui.



Antequam vero singulas dispositiones Reformationis Franc. adducere et illustrare licet, generalia nonnulla praemittenda sunt.

S. II.

*Territorialis dominus proprio iure legem condere potest, vi cuius ruinosa domus vel area, si certum intra terminum nouum aedificium non exstruitur, fisco cedit.*

Territorii domino licet, subditos compellere, ut reaedificant domus suas, quae refici nequeant, aut iam collapsae sunt. Fluit haec potestas ex iure politiae, quae sub quolibet imperio civili d) et speciatim in Germania sub superioritate territoriali indubitate comprehenditur e). Quae- ritur autem *an territorialis dominus proprio iure legem condere possit, vi cuius huiusmodi domus vel area, si intra certum terminum nouum aedificium non exstruitur, fisco cedit?* Re accuratius perpensa, quaestionem propositam affirmare non dubito, ita tamen, ut lex eo modo facienda sit, qui in quois territorio legitime introductus est. Nam territorii domino, vi iuriis fisci ipsi competentis f) bona a possessoribus hue usque nec culta nec habitata, tamquam deserta sibi vindicare permisum est, dum veteres Imperato-

d) ill. HENR. GODI SCHEIDE-MANTEL, im Staatsr. nach der Ver- sunft und den Sitten der vornebmst. Völker, 2 Th. §. 164 pag. 224;

e) IO. IAC. de MOSER von der Landesh. in Policey-Sachen Cap. I. §. 5- pag. 6 f.

f) Imperii ordines ius fisci olim successivae per inuestitutam caesaream, obseruantiam ex priuilegia caesarea con- fecuti sunt. Huiusmodi priuilegia prae- cipue ciuitates imperii impetrarunt, quia ne vnicā, quantum ego quidem scio, ius fisci a Caes. Mai. per inuestitutam accepit, et, quod ad obseruan- tiā attinet, illa haud raro querun- dam iurium fiscalium inuitu defuit, et alia severa exercita iura ad mini- mum pro parte impugnata fuerunt,

Sic v. c. ex priuilegio a Max. II. Imp. L. R. Francof. a 1572 super iure prae- lationis in creditorum concursu nec non super bonis vac. et erexitis con- cesso appetat, plures prius ius refrin- gere volunt et splendidiſſ. senatum re- liquorum modo commemoratorum iu- rum exercitio tunc temporis destitu- tum fuisse. Ipsum hoc priuilegium Franc. probat, tales concessiones a ciui- taribus imperii interdum faro quae- sitas et obtentas esse. Ceterum ius fis- ci hodie sub superioritate territoriali in- dubitate continetur, Cap. Caes. (1636) Art. 21 §. 2 — 4. et in specie vrbibus imperii disputari nequit, I. P. O. art. 8. §. 4 PFEFFINGER corp. iur. publ. Tom. III. Lib. 3. tit. 18. §. 71. not. b) pag. 1511 f.

ratores illa fisco suo addixerunt, g) at leges, in quibus Imperatores fisco suo varia commoda tribuerunt, adhuc hodierno die in Germania, deficiente alia dispositione domestica, valent, quia plerique imperii ordines ab eo inde tempore, quo ius Romanum in I. R. G. vim legis accepit, istas LL in suos usus conuertere non dubitarunt. h) Hinc imperii status per talem legem id modo sibi vindicant, quod ipsis iam de iure debetur. Per se vero patet, eiusmodi praedia fisco inferenda esse legitimo modo, de quo iam paucis agere decreui. SAM. STRYCK. i) distinguit, utrum dominus, secundum fundum deferere velle, aut alteri resignare apud acta iudicis professus sit, nec ne, sed praedium tacite deseruerit? Si prius, citationem non requiri, sed eum, qui occupauit et fisco tributa soluit, statim dominium acquirere afferuit. Quod ad pristinum dominum attinet, STRYCKIO non contradico, bene vero intuitu aliorum ius aliquod in talibus bonis praetendunt, quippe qui omnino citandisunt. Si posteriorius, STRYCKVS recte statuit per edictum pristinum posseforem et omnes, quorum interest, vocandos esse, vt in certo termino sub poena amittendi sui iuris compareant. Quamvis enim in lege k), ad quam STRYCKVS prouocauit, citationem hoc calu semper necessariam esse, disertis verbis non sit dispositum, tamen illa omitti nequit. Cum enim deserio supponat, dominum rei immobilis huius possessione, cum animo dominium amplius non habendi, sponte se abdicasse, hic autem animus inde, quod dominus ex domo ruinam minante discessit, aut fundum frugiferum per aliquod tempus non coluit, colligi nequeat, necessario requiritur, vt edicitalis citatio praecesserit, et in termino dominus non comparuerit, antequam pro defrente habeat potest. Intuitu eorum, qui ius in re forte habent, pariter haec citatio necessaria est, siquidem iura sua allegandi et deducendi

A 3.

occa-

g) Tit. Cod. de omni agro deserito etc. si specialibus locorum constitutionibus aut consuetudinibus aliud statutum est.  
Si Imperatores hoc iure suo non utrebantur, priuatis eiusmodi bona occupare integrum erat. L. g. Cod. cod. 1. D. B. M. loc. all.  
Est haec dispositione adhuc in usu, ceu b) per ill. 10. STEPH. PÜTTER.  
Beyträge 1 Th. pag. 207 num. II.  
Bene obseruauit SAM. STRYCK. diff. i) loc. all. num. 38.  
de agris deseritis cap. 3. num. 61. Ceterum regula ista exceptionem patitur,



6  
occasio ipsis danda est, priusquam paecludi queunt. In praxi citationem plerumque non omitti, plures restantur. <sup>l)</sup>

### §. III.

#### Dissentientium argumenta adducuntur et refutantur.

Antequam vterius progrederi licet, referenda sunt paucis, quae huic, in quam descendit sententiam, obstat videtur. Dissidentes asserunt, poenam commissi generatim iuris rationibus repugnare, quia imperanti ius quae situm nemini auferre permisum esset, et is finem propositum alia legitima ratione consequi posset, v. c. si domus ruinam minans aut area publice distraheretur, et pecunia sufficienter legitimatis exsolueretur. Accedit, quod Princeps bona immobilia huc usque a possessoribus nec culta nec habitata ceu deserta secundum nonnullorum opinionem occupare nequeat, si miser huicmodi rerum status calamitati publicae v. g. bello originem debet, aut ipsi territorii domino imputari potest. <sup>m)</sup> Extat etiam conclusum augusti imperialis aulici senatus d. 6. Iun. 1732 quod haec principia approbare videtur. <sup>n)</sup> At haec argumenta me non mouent. Poena commissi in casu nostro iniustitiae accusari

l) Vid. v. c. IO. IAC. DE MOSER 1698 publicirte Stadt Speyerische Edi-  
tion dabin wieder erneuern zu lassen,  
daß den Eigentümern und Besitzern  
der öden Plätzen und respettive Feld-

24. §. 3. pag. 246.

m) IO. FRID. PFEFFINGER. corp-  
iur. publ. Tom. III. Lib. III. Tit. XVIII.  
§. 74 not. a) pag. 1518.

n) Legi potest hoc conclusum in  
(IO. IAC. DE MOSER.) auserlesen R.  
H. R. conclusio, pag. 405 fq. Verba huc  
Speculantia adponam. Rescribatur dem  
Stadtmagistrat zu Speyer: Nachdem —  
— so baetten ihre K. M. vor billig, und  
den kundabaren Rechten gemäß, auch dem  
Publico (welches dem Privat-Nutzen  
allezeit vorzuziehen,) oder der Wieder-  
herstellung und Aufzahm der so sehr be-  
drängten Stadt Speyer allerdings vorträg-  
lich zu seyn befunden, das schon Anno

1698 dabin wieder erneuern zu lassen,  
daß den Eigentümern und Besitzern  
der öden Plätzen und respettive Feld-  
Gütern quaest. (es mögen nun Burger  
oder Ausländer seyn) eine Jährs-Frist  
nochmalen angesezet werden, binnen wel-  
cher sie ihre öde Plätze und Felder wie-  
der bebauen, oder aber selbige einem  
andern käuflich überlassen; Nach Ver-  
fleissung aber solcher Jährs-Frist selbige  
dem meistbietenden, oder sub hasta ver-  
kaufet, und sodann das erlöste Geld den  
Eigentümern (damit sich diese zu be-  
schweren keine befugte Ursach haben mö-  
gen) nach Abzug der gewöhnlichen praec-  
standorum, abgefölger werden solle, wort  
nach sich also der Stadt Magistrat zu  
richtien, und fest darauf zu halten hätte.



fari nequit. Iam dudum enim magni nominis Icti o) recte monuerunt,  
quod notissima iuris regula, vi cuius imperanti ius quaeſitum nemini au-  
ferre licet, huc trahi nequeat, dum commodum publicum priuato praefe-  
rendum est, et hinc propter ciuitatis ornamentum plura contra regulas  
communes iure meritoque statuta sunt. Quod ad singularem PFEFFINGE-  
RI opinionem attinet, illa mihi prorsus displicet, quia priores praedio-  
rum caſu deuaſtatorum poſſeffores ob culpac defectum ad ſummu[m] exige-  
re poſſunt, vt per aliquod tempus plane non moneantur, et, ſi dcinde  
ad reaſificandum, vel culturam de nouo incipiendam terminus perem-  
torius praefixus eſt, ille, allegato et probato iusto impedimentoo, prorogetur.  
Nec obſlat in medium prolatum confiſſio[n]i imperialis aulici concluſum,  
ſiquidem magiſtratus Spirensis in antiquiori edicto, cuius renouatio  
in hoc concluso iniuiceta eſt, de poena conſiſcationis forte nihil dixit, et  
ſenatus imp. aulicus hac ex ratione tamē comminationem adhibere noluit.  
Etiamſi hoc aliter ſe haberet, tamen nihil inde contra me inferri poſteſt.  
Nam quotidie accidit, vt iudices in quaefitionibus clara lege non decisifis,  
et a D D in vtramque partem diſputatis modo in hanc, modo in illam  
ſententiam eant.

#### §. IV.

*Summa Ref. Franc. I. a. adducitur, et ſimul inquiritur, cur ampliſſ. Senatus  
Francoſ. intuitu aedium ruinoſ. et loc. vac. priuilegium Caſ. impetraverit?*

Sufficient haec de aedium ruinosarum aut collapſarum reaſificatio-  
ne in genere. Summa ac caput Reformationis Fr. I. all. eſt, quod huiaſ-  
modi domus intra annum ſub poena conſiſcationis exſtruſi debeant. Ar-  
tequam poriores queſtiones, que in hac lege deciſas ſunt, aut eius occaſione oriri poſſunt, adducere et breuiter explicare liceret, paucis inuesti-  
gandum, cur ampliſſimus Senatus iſtam legem non propria auctoritate tu-  
lerit, ſed anteā ſuper illius ſumma a Frid. III Imperatore priuilegium, et

a Six.

<sup>o)</sup> BRVNNEM. ad L. 4. Cod. de iu-  
re, reip. num. 5. et 7.

p.) Verba huic ſpectantia haec ſunt:  
undamix (poena conſiſcationis,) gegen  
Umanā nichil verſchulbt ader verwirkt

baben, noch darumb Anwurf zu' geben  
ſchuldig ſein oder deshalb angelangt wer-  
den in einich Weise.

q.) ORTH, loc. all. pag. 565 ſq.

a Sexto IV Pontif. R. eiusdem confirmationem impetraverit? Priusquam, et posterius in §. seq. fiet. Milii illustris magistratus per priuilegium caesareum omnes controvorias, quae super poena confisicationis oriri potuerint, sapienter praecauere voluisse videtur. De eo enim, an et quantum Senatu*vrbis imperii* ius fisci competet? sub Frid. III Imp. adhuc. saepe et interdum satis vehementer certatum fuit, ceu ex supra not<sup>f)</sup> annotatis eluet. Idem etiam haud inobscure patet ex ipso priuilegio, p) dum Imperator in illo intuitu iuris, aedes ruinosas et areas vacuas confiscandi, omnia dubia remouere sollicite studuit. q)

## §. V.

*Quare dictum priuilegium Caesar. a Pontifice confirmatum sit?*

Cives Francof. olim saepissime aedes suas aut ab illarum possessioribus soluendos census et annuos reditus in *vrbis suae* clerum per testameta vel contractus transtulerunt. r) Innumera inde enata sunt incommoda, quorum nonnulla hic spectantia breuiter enumeranda sunt. Dubio caret, quod clerus suarum acdium refactionem neglexerit, et laici eiusmodi oneribus obnoxia aedifica possidentes idem fecerint, atque hinc multae ruinose domus vrbem deformarint. s) Est etiam probabile, quod clerus aut mandatis senatus caesareo priuilegio consentaneis re vera se opposuerit, aut faltim magistratus tale quid expectauerit, quia clerici ecclesiae Rom. exemptionem a legibus ciuilibus cuiuscunq; reipublicae, vt inter omnes constat, praetendunt. Quae mala vt auerterentur, splendidi. Senatus duplex remedium adhibendum esse putauit. Ante omnia ampliss. hoc collegium rem eo deduxit, vt cleris immobilia bona omnia in vrbe et ditione Francof. ipsi futuris temporibus obuenientia ciuibus sec. vendere teneatur, t) et nonnulli reditus annui redimi queant.

r) Prius, quod nempe multae domus ad ecclesias Francof. peruererint, ex diplomate papali d. a. 1477 in collectione priuilegior et palliorum Francof. pag. 332 sq. obvio perspicitur.

s) In diplomate in not. praeced. adducto hoc exprefsi verbis continetur.

t) Carolus IV Imp. ciuitati Francof. a 1376 priuilegium concessit, vi eius

clerus ipsi legata bona immobilia, et eadem modo acquisitos census intra annum spatiu*civibus Francof.* vendere tenebontur, et his solum entio immobilium bonorum permittitur. Insigne hoc priuilegium, quod in collect. priuileg. et pall. Francof. pag. 192 conspicitur, a St. gism. et Max. II. Imperatoribus a. 1416 et 1570 in priuilegii, quae in alleg. col.

u) Cum autem clero aedes pristinis temporibus possesse reliqua sint, x)  
et iste ad horum aedificiorum refectionem et reaedificationem iuxta priuilegii cael. tenorem vix aliter sine magnis ambagibus compelli posset, quam si Pontifex R. illud priuilegium approbat, splendidiss. Senatus non dubitauit confirmationem papalem impetrare. y)

S. VI.

Ref. Franc. l. cit. pertinet non modo ad ruinosae domus aut loci vacui domi-  
num, sed etiam ad eum, qui ab hoc censum, annuos redditus etc.  
exigere potest.

Iam ad explicationem legis nostrae saluberrimae, cuius summa iam supra (§. 4) relata est, progredi licet. Ante omnia consideranda sunt personae, quae sapientissima hac lege tenentur. In priuilegio cael. et Ref.

B

difer-

legione pag. 259 sq. et pag. 400 sq. ex-  
tant, ad omnes personas, quae non sunt  
cives aut Bessafien extensem est. Quod  
in specie tres ecclesias collegiatas Franc.  
attinet, in statuto (Rachrung) ab illis a.  
1470 cum senatu inito idem dispositum  
est, quod priuilegium Caesar. d. a. 1376  
continet, hocque statutum a Sixto IV a.  
1477 confirmatum est, eeu diploma in  
en. colleg. pag. 332 sq. concipuum testa-  
tur. Conf. egregius libellus, quem 10.  
ANT. MORITZ sub titulo: *Versuch einer  
Einleit. in die Staatsverfassung der Ober-  
sächsischen R. Städte*: edidit, 2 Th. 4  
Absch. 3 Hauptft. §. 61 pag. III. §. 63.  
Pig. 115.

u) Cum senatus a. 1526 edictum,  
vi cuius omnes in posterum aedifica-  
aut alia immobilia bona in vrbe et di-  
tione Francof. sira annuis redditibus one-  
rare volentes huiusmodi contractus mo-  
do cum ciuibus sec. Francof. celebrare  
debet, in publicum emitteret, atque  
priuilegium a Caef. Mai. dic 12. Iul.  
1541 obtentum et saepius alleg. colle-

Eioni pag. 368 insertum, in quo om-  
nes tales contractus sub lege retrouen-  
ditionis inire concessum erat, ad annuos  
reditus trium ecclesiarum collegiat.,  
Francof. extendere vellet, haec magi-  
strati item in camera imperii inten-  
derunt. Quamvis haec lis a. 1554 per  
transactionem finiretur, non tamen ab  
hinc cessavit omnis contradicatio, ea  
praeprimis ex ratione, quia Eminentiss.  
Archiep. Mog. tamquam ordinarius  
hunc transactioni se opposuit. Tandem  
a. 1560 etiam haec controuerchia amice  
ita composita est, vt trium ecclesiar.  
collegiatar. annui redditus, quorum in-  
tuu ante a. 1554 resignatio facta erat,  
redimibiles, reliqui autem omnes ir-  
redimibiles esse deherent. MORITZ  
loc. all. §. 63 pag. 115. sq.

x) Specificationem aedium, quas  
tres ecclesiae colleg. Franc. in vrbe ad-  
huc hodie possident, vide apud MORI-  
TIZ loc. all. §. 63 pag. 115 sq.

y) ORTH. loc. all. pag. 566 sq.



z) disertis verbis dispositum est, quod collegium aedilium noui aedificii exstructionem ruinosa domus proprietario et illi, qui ab eodem censu poscere potest, iniungere debeat. Posterior huius dispositionis pars pro antiquiorum temporum conditione maxime necessaria erat, dum sine illa magistratus finem suum, ut ruinam minantum, aut collapsarum aedium loco nouae exstruerentur, nullo modo consequi portuisset. Consueverunt nempe domum huiusmodi oneribus obnoxiarum domini pristinis temporibus, quibus aedificiorum pretia valde exigua erant, istas aedes non reficere, et post earum interitum non reaedificare, sed illi, cui censu solvendus erat, expresse sive tacite cedere, qui tunc plerumque pariter non aedificabat. Ob mirifice aucta aedificiorum pretia hodie tale quid rarius contingere, vel me non monente, omnes vident. Nihilominus paucis explicandum est, quid obtineat, si hodie domus censu onerata ruinosa sit, aut plane concidit. Distinguendum est, vtrum dominus aedes aedificare velit, vel non, sed ei, cui censum praestare tenetur, expresse aut tacite cedat? Illo casu proprietario, qui solus sumitus ferre nequit, ab eo, cui censum debet, petere licet, vt ipsi aliquani horum sumtuum partem suppeditet, qua per pactum et in subfidium a iudice determinatur. Aequissima est haec constitutio, quia per illam publicum aequae ac priuatum vtriusque partis commodum promouetur. Hoc casu is, cui ius postulandi censum competit, aedificare tenetur. Qui officio suo iusto tempore non satisfacit, ius suum amittit. Ceterum dubio caret, de censibus dicta, etiam de annuis redditibus aliisque praestationibus similibus valere a)

### §. VII.

*Ref. Franc. l. a. spectat quoq. ad creditores hypothec. iudic. habentes.*

Quae in §. praec. exposui, ob rationis paritatem non inepte trahuntur ad creditores, quibus ruinosa aut collapsa domus iudicialiter oppignorata est. Exempla hodie sunt quidem rariora, non tamen nulla. Quamvis enim attentus creditor, si debitor nec aedes suas, prout decet bonum parrem familias, reficit, nec usuras soluit, usque dum domus ruinam

min-

<sup>z)</sup> loc. all. §. 1. et 3.

<sup>a)</sup> Conf. ORTH. qui loc. all. pag. 568 sq. de hac quaestione fuse egit.

minatur, aut plane concidit, non exspectare, sed antea ius suum conuenientibus remediis persequi soleat, tamen interdum aedes attentissimo creditor obligatae repente casu inopinato in eum statum rediguntur, ut dirui et de novo exstrui debeant, b) seu praxis testatur. c)

### S. VIII.

*De imperii ordinibus aliisque personis illustr. Francofurti aedes possidentibus.*

Cum nonnulli status imperii aliaeque ill. personae Francofurti patraria possideant, non inepte quaeritur, an splendidissimo Senatu illorum intuitu secundum priuilegium caesareum et Reformationem procedere permisum sit? Mihi hoc omnino licitum esse videtur, nisi eiusmodi possessor pactum sive obseruantiam pro se habeat. d) Nam singula immobilia bona v. c. aedes, villa, siluae etc. quae imperii ordines extra sui territorii fines possident, superioritati territ. constatum, in quorum prouinciis reperiuntur, subiecta sunt, quamvis haec territoria non sint clausa. e)

### S. IX.

*Clerus catholicus Francos. Reformationem loc. all. obseruare tenetur.*

De hac questione aliquid proferre primo intuitu superfluum esse videtur, dum magistratus amplissimus a Pontifice R. confirmationem privilegii caef. ea ex ratione impetravit, quia id, quod valde optabat, vt

B 2

nempe

b) Ita intelligenda sunt, quae ORTH. loc. all. pag. 569 disputauit.

c) Cum ante aliquot annos domus cuius euiusdam per inundationem plane corrupta esset, collegium aedilium die 12 Iun. 1784. proprietario et creditoribus hypothecarii iniunxit, ut illam intra 14 dies euerterent, et ante decursum anni de novo aedificarent, ad dicta communione, quod fecus sumitus destructionis ex officio peragendae ex fragmentorum et in sublidium ex ipsis arcis pretio hauriri, et omnes, nempe dominus et creditores hypothec-

earii, nihil accipere deberent. Documentum, ex quo haec desumpta sunt, una cum quibusdam aliis praesentem doctrinam concernentibus mecum communicauit ill. et excell. HIER. PETR. SCHLOSSERVS, cui pro hac singulari benevolentia publice gratias ago.

d) Consentit ORTH. in den Zusätzen der meisten über die Ref. der Stadt Frankf. gemachten Anmerk. pag. 195

e) IO. IAC. DE MOSER Teutsch. Nachbarlich. Staatsr. 3 B. 3 Cap. §. 5 pag. 228 et von der Teutsch. R Staende Landen 1 B. 8 Cap. §. 4 pag. 111.



nempe clerus urbis sua dicti priuilegii tenorem obseruare teneretur, hoc modo commodissime obtineri poterat. (§. 5.) At rationes, quae hac in controv ersia pro senatu ill. militant, nondum affere licuit, ideoque hoc iam breuiter fieri debet. Priuilegium caesar. generatim omnium eorum, qui Francofurti domus possident, et ab illarum dominis censu exigere queunt, mentionem facit, atque priuilegium illud in papali diplomate ad clerum Francof. satis perspicue extensus est. f) Accedit, quod exemptio a senatus amplissimi idtione, quam in specie tres ecclesias collegiatas Francof. quae vniuersitate inter se inierunt, vi caesar. aliorumque priuilegiorum, in omnibus caussis praetendunt, g) ad aedes olim a ciuibas Francof. possessas et sub magistratus splendidiss. idtione sitas, nullo modo extendi possit, cum quilibet foro priuilegiato praeditus iurisdictionem magistratus urbis intuitu praediorum urbanorum vel rusticorum sub eiusdem iurisdictione, acquisitorum in regula agnoscere tenetur. b)

## §. X.

*Modus procedendi contra domus ruinas non de nouo exstruentes secundum priuilegium Caes.*

Qui aedes, quae refici nequeunt, sponte non reaedificant, ad hoc legitime compellendi sunt. Secundum priuilegium caes. distinguendum est, utrum dominus aliique iure reali praediti praesentes sint, nec ne? illis, si ad citationem priuatam comparent, domum reaedificatio intra annum peragenda, sub poena juris sui amittendi, iniungi debet. His autem idem per publicum proclama denunciandum est.

## §. XI

*An eadem procedendi ratio in Ref. Franc. retenta sit?*

Eadem distinctio, prout ORTHIO i) visum fuit, in Ref. Fr. retenta est. Non omni specie destituta est haec opinio. Nam in §. 1 huius le-

f) Luculenre haec Pontificis mens sib. 3 Haupft §. 62 pag. 113. inf. sp. appareat ex clausula finali, cuius prae- b) GEO. MELCH. de LUDOLF. ob-  
cipua verba haec sunt. NVILI ERGO seru. for. Part. I obs. 35. Add. GEO.  
OMNINO HOMINVM licet, banc pa AD. STRV. ex q. ibes. 49 ibique r-  
ginam nostre confirmationis — infrin- MÜLLER. nov. d)  
gere. i) loc. all. pag. 572

g) MORITZ loc. all. 2 Tb. 4 Ab.

gis obvia dispositio, vi cuius aedilium collegium ruinam minantiam aedilium dominis earumdem extictionem intra annum sub saepius commemorata comminatione praecipere tenetur, sine dubio de praesentibus agit. Nec minus certum esse videtur, quod ea, quae in §. 5 k) Ref. Franc. de casu, quo propter incendium aliudue infortunium de aedificio nihil quam area cum aut sine quibusdam fragmentis superest, constituta sunt, absentes vel ignotos concernant, dum, si tale quid evenit, ignotum est quis proprietarius sit, aut ubi degat. Non difficultis est ad haec argumenta responso. In §. 1 Ref. Fr. de praesentibus sermonem esse, sine illo derimento concedere possum. At in §. 5 legis all. disposita ad casum, quo dominus absens aut ignotus est, restringi nequeunt, si quidem etiam tunc, si de domo ad summum nonnulla rudera superfunt, interdum proprietarius notus est. Praeterea ORTHIO grauiter obstat, quod all. §. 5 generatim loquatur, adeoque iste illam restringere non debuisset ad absentes vel ignotos. Praxis etiam ORTHIO contradicit. Saepe enim breuitatis causa praesentes mox per decretum publice affixum, l) mox in casu per §. 5 definito ibidem praescripto et adhuc hodie vistato<sup>m)</sup> modo citati sunt. n)

### §. XII.

#### Quomodo post citationem procedatur.

Si citatio sive hoc, sive illo modo, sub consueto praeiudicio, emanavit, et nec dominus, nec alias citatus comparuit, vel aedificare cepit, aut dilationem petiit, ill. Senatui licet, o) ruinosam domum aut aream va-

B 3

cuam

k) Verba ipsa apponam. Weren dann Ziveyten § oder Versicul vermeldet ist, auch Bebauungen, oder andere Baüw, l) Vide exemplum supra in not. durch Brands, oder sonst, gar zu müsten und öden Plätzten worden: So soll auf dieselben ein Block eingegraben, und außgerichtet werden, mit einem angebefften befchribenen Täfelin, Darinn im 1784 conculum, huic modum adhibendum, et defuncti proprietarii W. heribundus bessers Gründs, auch denjenigen, so darauß Zins bauen moechten, offenlich Denuncijz verkündet, auch aufserlege werde, inwendig Jahrschrift, rationem contra Iudeos susafr, et ampliss. magistratus hoc comprobauit. Vid. not. p) ad §. xlz.



cuam fisco addicere. Fit hoc ita, ut aedilium collegium, ex Scabinorum concluso, terminum subhastitutionis praefigat et aedificium vel aream plus licitanti adjudicet, qui tunc aedificare tenetur.

## §. XIII.

*De Iudeorum Francof. aedibus.*

Aliquoties Iudeis assignata vrbis pars, vulgo *Jüden-Gasse*, incendio adeo corrupta atque deuastata est, ut residua domuum pars hominum multitudinem capere non posset, et hinc splendidiss. senatus Iudeis extra ordinem concesserit in aedibus Christianorum habitare. Quod si factum est, et Iudei in nouis aedificiis exstruendis nimis negligentes sunt, per edictum publice affixum ipsis cum praefixe certi spatii vlerior harum habitationum vslus et Christianis talis locatio suarum aedium interdicitur. p)  
Ceterum quoad domus Iudeorum Ref. l. all. per omnia obseruatur.

o) Inter omnes constat, ampliss. Se- hanc indulgentiam sibi expetiisset.  
natum sapient pro iis, quae circumsta- p) Hoc non solum a. 1716 factum  
bant, non secundum rigorem proces- est, sed etiam deputatio ordinaria dic-  
tisse, sed post vnum vel plures annos 29 Dec. 1775 ill. Senatus idem suspir,  
aedilibus inuinxisse, vt dominos alios, qui hoc consilium die 9 Ianuar. 1776  
que de novo cibarent, quamvis nemo approbavit.

Sed iam id peragi debet, cuius cauſa haec scripsi. Est nempe in secundam producendus laudandusque Clarissimus iurium Candidatus, qui quam vitae studiorumque rationem securus sit, his expressit verbis.

Ego GEORGIVS LVDOVICVS SCHILLERVS, per immor-  
talis dei gratiam vitae lumen adii Francofuri ad Moenum die xvi.  
Octob. Ao. clcccclxiv, pare venerando BENEDICTO SCHILLERO,  
Gymnasi, quod in ista splendiferissima ciuitate maximis eluce virtutibus,  
Collega, et marre HENRIETTA ELEONORA, Serenissimi Principis  
Hohenlohae Langenburgensis Consiliarii, WEBERI filia. Parentibus bis-  
ce dilectissimis, quos adhuc in viuis veneror, et quos vt Deus ter O.  
M. sua semper tuentur prouidentia, et quam diutissime conseruet inculu-  
mes! — id in primis curae cordique fuit, ut me tenera adhuc acetate non  
solum principiis Christianae religionis, sed etiam omnibus, quibus pue-  
riliis aeras ad altiora praeparari solet, disciplinis, rite imbuuerer. Ne-  
que vero non Praeceptores, quos una cum ipso boni patris mei studio,  
habui priuatissimos, quorum Virorum curae et solertiae multum me pro-  
fecisse gratus confiteor, et quos inter Celeb. MEIDINGERVM nunc Hom-  
burgi

burgi. Pastorem nominare sufficiat, ut mibi licuit. Hac ratione ad al-  
 tiora ita instructus, Albo Gymnasi nostri inclivissimi Rectore Praecell.  
 atque clariss. I. G. PVRMANNO nomen dedi, cuius nec non CONR. RAM-  
 BACHII, ProR. SCHERBII, aequae ac Parentis mei optimi, ZINCKII,  
 WILLEMERI etc. Virorum meritis et fama longe celeberrimorum pree-  
 lectionibus, quas quisque nomine et ore publico cum applausu proficitur,  
 non sine fructu interfui; praeterea que ne recentiorum ignarus inuenirer  
 idiomaticum, linguae gallicae, anglicae, et italicae tempus et operam  
 tribui. Quibus scientiis auxiliaribus, atque toto itaque absoluто Gym-  
 nasi cursu, proposito fini maturescens templum Themidos, quod Jenae  
 patet, nunc temporis in Germania florentissimum, Ao. CICCLXXXIII.  
 adii, et a Viro sum. Rev. atque Magnifico I. I. GRIESBACH, fasces  
 Academiae tunc temporis tenente, rite iniciatus, in numerum ciuium Aca-  
 demicorum die VI. Oktobris sum receptus. Hac in bonarum artium  
 mercatura, quae abundat viris fama, eruditione humanitateque  
 celeberrimis, iniunctorum Academicorum cepi a scientiis  
 Philosophicis, in quibus addiscendis Ill. HENNINGSIVM, atque VL-  
 RICHIVM ducem habui. Viri illustres atque Excellentissimi, Ill. SCHEI-  
 DEMANTEL, qui nunc Consiliar. regiminis Studiogardiae est, notitiam Eu-  
 ropae rerum publicarum; Ill. MULLERVS S. R. Imperii historiam,  
 antiquitates germanicas, artem diplomaticam; Ill. SVCCOW doctrinas  
 quas vocant camerales, atque politiam, pro proxima eorum scuauitate mi-  
 bi tradiderunt. Conianxi quoque cum iis mathematics, pariter ac phys-  
 icae studium. In reliquis autem Iurisprudentiae partibus Virum Per-  
 illustrem: I. A. REICHARDTVM in Institutionibus, Digestis, et iure  
 Canonico; consult. atque celeb. ENMINGHAUSIVM in Iurisprudentia Stru-  
 viana forensi; celeb. arque consult. VOELCKERVM in examinatorio ad  
 Pandectas, qui maxima, cum perspicuitate ac diligentia in examinando  
 mibi se praebeuit; Vir. Perill. C. F. WALCHIVM, simul comitem et pree-  
 sidem instantis mei actus disputationis solemnis, in preelectionibus iuris  
 historiae, iuris Germanici ac criminalis, et scientiam ex actis referen-  
 di, nec non sine magno utilitatis fructu eiusdem exercitationibus dispu-  
 tatoriis fui adscriptus. Haec mibi praesertim maxima contigit felici-  
 tas, quod iste Vir Perill. arque Excellentissimus C. F. WALCHIVS Fautor  
     atque



atque Patronus meus aeterna mentis veneratione pie colendus, me apri-  
mis academicis annis in patrocinium suum atque fauorem singularem  
beneole recipere non fuerit dedignatus. Concessit enim mibi Vir huma-  
nissimus et de fortuna mea immortaliter meritus, tam ex eruditissimis  
suis priuatis colloquiis, quam ex biblioteca sua pretiosissima fructus  
percipiendi maximos. Publice hoc ut praedicem sumnum et incredibile  
Viri excellentissimi de me bene merendi studium a me efflagitat omnino.  
In collegio iuris feudalis, germanici, nec non doctrina de actionibus et  
exceptionibus forensibus, audiui quoque SCHMIDIVM, illustrem et insignem  
humanitatem eximiam virum. Duce denique Perill. DE SCHELLWITZ,  
cuius merita in me immortalia nulla umquam oblinio delebit, Ius Pu-  
blicum, Praxim iuridicam, remque iudicariam imperii, neque minus  
artem ex artis referendi, pro insigni eruditonis suae copia et perspicuitate  
egregie propinanti me adspicuisse, nuncquam non impense mibi gratu-  
labor. Denique in Medicina forensi ill. atque longe celeberrimus NI-  
COLAI faciem mibi praeculit. Iam nihil superest, quam quibus omnibus  
his viris de orbe literato meritis me devincentum pro praeclaro erga  
me fauore atque benevolentia obstrictumque semper, dum viuam, fore  
gratus proficeor.

Hactenus ille. Qui, quamdui hic commoratus est, prout quemque  
bonum decer iuuenem, vixit, et ita iurisprudentiae operam dedit, ut  
commilitonibus et amicis diligentia et assiduo litterarum studio nisi supe-  
rior, certe par habendus esset. Hinc ad confusa examina admissus, non  
solum sibi demandata legum emodationem felici perfecit successu, sed  
etiam quaestiones propositas promte et erudite dissoluit, ideoque com-  
muni confusu dignus iudicatus est, cui cathedram descendere licet.  
Faciet hoc crastino die et dissertationem suam inauguralem de *iurisiurandi*  
*delatione in Reformatione Francosurtensi arctioribus limitibus circum-*  
*scripta*, Praefide VIRO PERILL. et EXCELL. CAROLO FRID. WALCHIO  
publice defendet. Quem actum ut MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,  
PATRES CONSCRIPTI ET PROFESSORES CELEBERRIMI nec non GENERO-  
SISSIMI ET NOBILISSIMI COMMILITONES honorifica sua praes-  
entia condecorare velint, Ordinis nostri et meo nomine officiosissime  
rogo. P. P. sub sigillo Fac. iurid. in Academia Ienensi die xx. April.  
ccccclxxxvii.

(L.S.)

VD18

ULB Halle  
004 582 101

3



f

5b.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

FRANCOFVRTENSIA

DE

VS RVINOSIS  
AREIS VACVIS

A3

ROGRAMMA

QVO

ISSIMI IVRIVM CANDIDATI

LUDOVICI SCHILLERI

FRANCOFVRTENSIS

TIONEM SOLLEMNEM

XXI. APR. CLOCCCLXXXVII.

INSTITVENDAM

TE INDICIT

J. LVD. DE SCHELLWITZ, D.

SALF. A CONSILII AVLAE IVR. PVEL. PROF.

DICASTERIOR. IENENS. ASSESSOR.

D. IVRISCONS. PRO DECANVS.

IENAE  
CRIS STRAYSSIANIS.